

Version latine n°4 (devoir sur table) : le palais de la mémoire

Longueur LC : intégralité. Longueur LM : 2 premiers paragraphes, jusqu'aux crochets.

Augustin s'émerveille des capacités de la mémoire humaine, apte à convoquer à volonté le souvenir des choses perçues par les sens.

Nam et in tenebris atque in silentio dum habito, in memoria mea profero, si uolo, colores, et discerno inter album et nigrum et inter quos alios uolo, nec incurunt soni atque perturbant quod per oculos haustum considero, cum et ipsi ibi sint et quasi seorsum repositi lateant. Nam et ipsos posco, si placet, atque adsunt illico, et quiescente lingua ac silente gutture canto quantum uolo, imaginesque illae colorum, quae nihilo minus ibi sunt, non se interponunt neque interruptunt, cum thesaurus alius retractatur, qui influxit ab auribus. Ita cetera, quae per sensus ceteros ingestae atque congestae sunt, recordor prout libet et auram litorum discerno a uiolis nihil olfaciens et mel defrito, lene aspero, nihil tum gustando neque contrectando, sed reminiscendo antepono. Intus haec ago, in aula ingenti memoriae meae. [...]

« O si esset hoc aut illud », « auerterat Deus hoc aut illud » : dico apud me ista et, cum dico, praesto sunt imagines omnium quae dico ex eodem thesauro memoriae, nec omnino aliquid eorum dicerem, si defuisserent. Magna ista uis est memoriae, magna nimis, Deus meus, penetrale amplum et infinitum : quis ad fundum eius peruenit ? [...] Multa mihi super hoc oboritur admiratio, stupor apprehendit me.

[Et eunt homines mirari alta montium et ingentes fluctus maris et latissimos lapsus fluminum et oceanii ambitum et gyros siderum et relinquunt se ipsos nec mirantur, quod haec omnia cum dicerem, non ea uidebam oculis, nec tamen dicerem, nisi montes et fluctus et flumina et sidera, quae uidi, et oceanum, quem credidi, intus in memoria mea uiderem spatiis tam ingentibus, quasi foris uiderem.]

Augustin d'Hippone